DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PHRENITIDE.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Authoritate Magnifici Rectoris,

D. THEODORI RYCKII, J. U. D.
in Illuſtri Academiâ Lugduno-Batavâ Profeſſoris
Hiſtoriarum & Eloquentiæ,

NEC NON

*Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Almæ
Facultatis* MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

PETRUS BENIER, GERARD. FIL. Batavoduranus.

Ad diem 16 Iulii, loco horiſque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXII.

24
1185.g.16
24
K.

Omnis virtute pietatiſque Viris

D. JOANNI BENIER, Reipublicæ Batavoduranæ Ex-Scabino & Senatori:

D. STEPHANO BENIER, apud Amſtelodamenſes Mercatori ſolertiſſimo patruis meis, parentis loco ſemper colendis:

UT ET

Clariſſimis, expertiſſimis, acutiſſimis, celeberrimiſque Viris

D. D. Facultatis Medicæ in Academiâ Lugduno-Batavâ Profeſſoribus:

D. BURCHERO de VOLDER, Phil. & Med. Doctori, illius & Matheſios in prædictâ Academiâ Profeſſori ordinario, præceptoribus meis dilectiſſimis:

NECNON

Nobiliſſimo Conſultiſſimoque Viro

D. GEORGIO PLOOS van AMSTEL, J. U. D. & apud Amisfurtenſes Viro Conſulari & Syndico meritiſſimo, Eccleſiæ noſtri Salvatoris in Urbe Ultrajectinâ Scholaſtico, propter ſingularia in me merita plurimum honorandô:

DEIN

Prudentiſſimo ſummaque integritatis Viro

D. SAMUELI THIENS, apud Amisfurtenſes Scabino, propter ſummum erga me affectum ſemper venerando:

DENIQUE

Conſultiſſimo Viro.

D. GERARDO THIENS, J. U. D. & coram Hollandiæ curiâ advocato, amico meo chariſſimo:

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus, omni amoris, obſervantiæque genere proſequendis

Hanc diſputationem inauguralem

Omni, qua poſſum humilitate, & reverentiâ,

Offero & conſecro

PETRUS BENIER, GER. F.

Auctor.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PHRENITIDE.

PROOEMIUM.

Dum ſpeculamur corpus noſtrum ejuſque functiones, magnâ certè admiratione afficimur; ſed ea multò major erit, ſi contemplemur hominem compoſitum ex animâ & corpore, quomodoque res tam diſtincta ac toto cælo differentes in unum coire poſſint. Corpus enim in extenſione *conſiſtit, anima verò in* cogitatione, *in qua nihil reperitur quod vel oleat ullam eſſentiam corpoream. Hujus conjunctionis (ſit verbo venia) ſive commercii inter animam & corpus ſi cauſas indages, nullas invenias, niſi quod ſummo rerum opifici ita placuerit: corpori enim creato indidit animam, ut hæc ab illo, illudque ab hac affici poſſit.*

Hoc autem commercium impediri *aut* depravari *poſſe docent plurimi morbi ſoporoſi, animi deliquium, paralyſis, aliique in quibus anima in promptu non eſt determinare ſpiritus in quoſvis muſculos noſtri corporis, & viceverſâ motus ab objectis impreſſi non percipiuntur ab animâ: Horum in numerum jure merito refertur* Phrenitis, *quam explicare in animum induxi. Vt autem hoc ordine diſtincteque fiat,* primò *agam de quibuſdam* requiſitis, *quorum ope mutuum animæ corporiſque commercium exercetur*, deinde etymologiam, definitionem, diſtinctionemque *indicabo, tum* cauſas *enumerabo, earumque rationes adjungam, poſtea ad* ſigna *ejus tum* diagnoſtica *tum* prognoſtica *tranſibo, & denique* curam *ſubnectam.*

THESIS I.

Ut commercium hoc ritè procedat, *requiritur* ut continenter ſpiritus animales procreentur, ut ſint ſatis ſubtiles & ſufficientes, ut motu gaudeant perniciſſimo, ut denique ab omni parte æqualiter ſenſorium premant commune: hinc enim fit, ut ita pro animæ voluntate ſtatim ſp: determinentur in partem movendam. Quod ut ſuccedat tubuli nervorum debent eſſe aperti, & omnia organa bene diſpoſita; præterea nervorum fibrillæ debent eſſe tenſæ, ut, ſi motus aliqui ab objectis externis venientes nervis noſtris ſatis imprimantur & cum ſpiritibus animalibus cummunicentur, prò diverſitate motuum & organorum mens noſtra diverſis afficiatur perceptionibus. Hi motus cum ſunt diſtincti, & placidi, etiam diſtincta imprimunt cerebo noſtro veſtigia, in quæ cùm poſtmodum ſp: animales incidunt, ope radiationum in ſpiritibus illis, afficitur ſenſorium commune; perinde ac ſi ab objecto externo, antea repræſentato, impræſentiarum afficeretur, & ita fit eadem mentis noſtræ perceptio, quæ fieret tunc, ſi objectum revera eſſet ante organa ſenſuum præſens.

II.

Circa *Etymologiam phrenitidis* hærere ſupervacaneum eſt, quippe quæ non multum faciat ad ejus explicationem. Utcunque tamen conſueto mori ſatisfiet. *Phrenitis* ſeu *phreneſis* venit à verbo græco φρὴν, quod ſignificat mens, vel à φρενόω, quod interdum ſignificat caſtigo, unde phrenitis dicitur mentis delirium, Belg. een raſernij. Hunc autem affectum ita vocârunt; quia mentem delirare putârunt: quid verò illud delirare ſit in ſequentibus explicabitur. Qui interim explicationem hujus vocis clariorem deſiderat, etymologicos quæſo adeat.

III.

Variæ hujus morbi dantur *definitiones*. Quibuſdam magis placuit illa, quæ deſumitur ex cauſâ continente, illamque ſic tradunt. *Phrenitis eſt inflammatio membranarum, vel ipſius ſubſtantiæ cerebri cum febre continuâ, acutâ, & gravi, & delirio perpetuo ac feroci.* Cum verò ad lectum ægri adſtantibus inflammatio cerebri vel ejus menyngum non appareat neque illius certi poſſimus eſſe, niſi in cauſas phænomenorum inquiramus; ideo magis mihi arridet ſequens definitio. *Phrenitis* eſt delirium ſive perpetua judicii depravatio,

cum

cum febri continuâ, acutâ, & gravi ſæpe etiam cum excandeſcentiâ. Alii alias dant definitiones, quas brevitati ſtudens omitto.

I V.

Diſtinguitur hic morbus à *Maniâ*, quod huic adſit continua febris, Maniæ verò nulla: à *Paraphrenitide*, quod delirium ſive judicii deparatio in *Paraphrenitide* ſit intermittens, nec febris tam acuta aut gravis, & interdum intermittens: à *Melancholiâ*, quod febre careat, & adſit metus, & triſtitia continua ſinè evidenti cauſâ: ab *hydrophobiâ*, quod ægri lucem, & quævis clara ac ſplendida fugiant, aquam metuant, & ad ejus conſpectum & commemorationem contremiſcant.

V.

Cauſas autem hujus morbi *proximas* & *remotas* nunc eſt, quod pro viribus explicem. *Proxima* quidem ſive *continens* eſt inflammatio membranarum cerebri vel ejus ſubſtantiæ; & præcipuè in confiniis ventriculorum: quam cauſam continentem rejicit *Steph. Blancardus* in lexico ſuo medico, dicendo phrenitidem eſſe delirium cum febre continuâ, ſæpè cum furore, & excandeſcentiâ à ſpirituum animalium p. n. incaleſcentiâ (non autem â cerebri inflammatione, quæ antiquis placuit) productâ. Sed de his lector benevolus melius poterit judicare poſtquam inflammationem & ejus effectus viderit explicatos.

V I.

Calidum omne noſtri corporis eſſe influens, utpote à materiâ æthereâ originem habens, quæ continuè poros noſtri corporis perfluit, nemo, qui modò principia veræ philoſophiæ guſtavit, inficias ibit; & quamdiu debito modo fluit per corporis noſtri poros & ſanguinem, mixturam & ordinem particularum conſervat: cum verò pori partium quarumcunque (ſed præcipuè membranoſarum tanquam conſtantiores poros habentium) à particulis bilioſis; ſeu, ut ſimplicius loquar, ſalinis; aut pituitoſis inconvenienti figurâ & magnitudine præditis non totaliter, ſed ita obſtruuntur, ut in illis remaneant minutiſſimi meatus, per quos non niſi ſubtiliſſima mundi materia transfluat, contingit, ut illa, cùm merus ignis ſit, atque adeo fulminis pernicitate feratur, eas partes, per quas ruit, inflammet: Nam ipſe ignis excitari poteſt à celeri agitatione iſtius materiæ igneæ, cujus exemplum habemus in

fœno

fœno non bene exſiccato, de quo acutiſſimus ille philoſophus Renatus *Des-Cartes* ſcripſit in parte quartâ princip. philoſ. §. XCII.

V I I.

Supradictum autem obſtructionis genus intellectu difficile haud eſt: etenim ſi fuerint foramina quædam rotunda, per quæ corpora, v. c. quæ ſint angulosa ſimul & pyramidalia tranſitum moliuntur; videbimus illa cuſpidibus quidem ſuis hæc foramina ingreſſura non verò baſibus, quæ ipſis foraminibus latiores ponantur. Atque adeo hinc ſequi oportet, ut in iſtis foraminibus hæreant, multaque ſpatiola circa latera ſua relinquant: quæ quidem ſpatiola, ſi tam exigua ſint, (fieri autem hoc poſſe quis neget?) ut neque globulos cæleſtes, neque particulas terreſtres admittant; quid verius eſt, quam quod ea materiâ duntaxat æthereâ repleantur; nullum enim datur vacuum? Unde omnia denique fluunt inflammationis phænomena.

V I I I.

Antequam verò pergamus, paucis annotabimus: quare inflammatio potius fiat in partibus membranoſis, nervoſis, tendinoſis & ſimilibus, ut in membranis cerebri, veſicâ, ventriculo, pleurâ, pulmonum membranulâ, diaphragmate & ſimilibus, quam in aliis partibus mollioribus? Dicendum igitur: omnes illas partes poros habere conſtantiores; uti jam *theſi* VI. de partibus membranoſis dictum eſt. Quamobrem diutius patiuntur, ſinè ruptione, transfluxum materiæ illius æthereæ, quàm aliæ partes, minus conſtantes poros habentes. Cùm enim fibrillis minus validis præditæ ſint, citius rumpuntur earum pori, unde fit ut inflammationis cauſa tollatur.

I X.

Naturâ inflammationis intellectâ difficile non erit cauſam dare; *quare febris hunc morbum comitetur?* ſi modo utamur materiâ illâ ſubtili, quæ aſſiduò (quemadmodum theſi VI. dictum eſt) fulmineâ celeritate omnes pororum reliquias permeat, & motu ſuo rectilineo (omnis enim motus ſuâ naturâ eſt ad lineam rectam) pergit ad ſanguinem per vaſa ſanguifera, quorum multitudo eſt in cerebro, ejuſque mixturam turbat, non aliter ac fulmen, trajiciens vas vino vel cereviſiâ repletum, mixturam particularum inconſuetam & confuſam reddit; ut, quod antea clarum & pellucidum erat, nunc appareat turbidum: & in illâ mixturâ turbatâ conſiſtit eſſentia febris.

IX. Quo-

Quomodo ex inflammatione cerebri; præſertim ſi ſit in confinis ventriculorum (nam putamus ſpiritus, qui ſunt in ventriculis cerebri determinari tantum à ſenſorio communi, non verò illos, qui in tubulis cerebri verſantur) *delirium* oriatur, nunc venit explicandum: quod facile erit, dummodo ad eundem ætherem (de quo ſumus locuti) attendamus, qui *copioſè* & *aſſiduè* exiguas pororum minutias, ab obſtructione in cerebro relictas, pervolat, & rectâ viâ pergendo ad cerebri ventriculos pervenit; ubi motum ſpirituum animalium turbat, eorundemque indifferentiam & æquilibrium tollit (quod æquilibrium requiri *theſi* 1. notatum eſt, & ex ſequentibus etiam patebit) ut ita pro nutu ſenſorii communis ſpiritus non poſſint in hos potius quàm illos nervorum tubulos, & in hæc magis quàm illa cerebri veſtigia determinari; prævalente videlicet determinatione violentâ ab æthere tranſvolante factâ. Dum itaque radiationes ſpirituum, ſecum ferentes impreſſiones modo horum modò illorum veſtigiorum, cerebro ab objectis ſenſuum *antea* impreſſorum, ad ſenſorium commune determinantur, fieri non poteſt, quin omnia confuſo modo ſenſorio communi repræſententur, ſinè connexione antecedentium & conſequentium. ex. gr. quoties radiationes fiunt à veſtigiis ab objectis triſtibus cerebro impreſſis, triſtia proferet æger: ſi verò à ferocibus, aut à lætis, ferocia proferet, aut læta ſinè ullâ connexione. Et hac ratione, dum æger loquitur illa, quæ menti à veſtigiis repræſentantur, non verò illa, quæ conveniunt circumſtantiis externis, delirare dicitur; non quidem quod mens revera deliret, ſed quod non agat quod nos putamus eam facere debere, quia ſc. confundit res ante ſenſuum organa verſantes cum rebus à veſtigiis antea ab objectis cerebro impreſſis provenientibus, quæ omnia nos clarè docent nullam huic morbo adeſſe imaginationis vel perceptionis depravationem, uti *Clar. Vir Henricus Regius* vult, cùm dicit: quod *Phrenitis ſit imaginationis & judicii depravatio cum febre, ſæpè etiam cum excandeſcentiâ.*

X I.

Reſtat nunc, ut videamus quænam porro producantur ex antedictis: ſicuti vidimus ſpiritus ſinè ullo ordine modò in hæc modo in illa cerebri veſtigia incidere, & ab illis veſtigiis omnia confuſo modo ſenſorio communi repræſentari, ita etiam hi ſpiritus tumultuariè ab illo ætheris tranſfluxu, modò in hos modò in illos nervo-

rum

rum tubulos fortè fortunâ & intempeſtivè influunt, unde *reſpiratio* modò *anhela* & quaſi *ſuſpenſa*, modò *crebra* & *celeriter repetita*, cum *inſpiratione* interdum *duplicatâ*, & (ut uno verbo complectar) *inæquali*. Præterea ob eandem cauſam Phrenitici modò *vociferantur*, vel *pugnos cadunt*, aut *manus* & *pedes jactant*, modò *membra, viribus intenſis cumque impetu validiſſimo, exagitant*. Idem ille motus vehemens materiæ ætheree peregrinæ (de quo ſupra) dum mixturam ſanguinis turbat, & alios humores per partes ſolidas & proximas circulantes turbabit, exagitabit, & rarefaciet unde *tumor* oritur *totius faciei*, qui ſi vaſa ſanguifera premat, ſentitur *pulſatio vaſorum*; ſed tumor partis inflammatæ non ſolum fit à cauſâ jam datâ; verum etiam ab obſtructionibus, in parte illâ factis: ſic enim circulatione impeditâ continuè novi & novi advenientes humores partem tumere faciunt. Qui nôrunt calorem eſſe majorem, ubi major eſt varius motus, illi facilè poterunt intelligere *ardorem* & *ruborem* eſſe (qui ſymptoma eſt ardoris) ubi vehementiſſimus eſt motus, qui nervorum fibrillas ita diſtendit ut periculum ſit ruptionis, unde triſtis ſenſatio ſive perceptio, quæ eſt *dolor*, qui quoque cauſa poteſt eſſe *inquietudinis*: præterea celer ille motus cum ſanguine communicatus fervidiorem reddit ſanguinem, ex quo dum nimis copioſi ſpiritus proveniunt, qui inflant perpetuò cerebri ventriculos, & nervos ſubjectos diſtendunt, *perpetua vigilia* producuntur: quò etiam confert, quod ſanguis pluries cor tranſeat, in quo ope fermentationis particulæ ejus magis magiſque dividuntur, & à ſe invicem ſeparantur, unde majus ſpatium requirunt ad ſui motum, quod cùm verum ſit, *vaſa* non poſſunt non *intumeſcere*, ut aliquando ſequatur *hæmorragia narium*. His ita explicatis me confero ad enumerationem, & ſimul explicationem *cauſarum remotarum*.

XII.

Cauſa igitur *remota* ſunt omnes res, ex quibus tales obſtructiones poſſunt produci, inter quas non inferiorem locum obtinet *aër, nimis calidus*, aut *nimis frigidus*, præſertim ſi hic illi ſubitò ſuperveniat. Cum aër calidus vel frigidus dicitur, hoc fit reſpectivè ad noſtrum ſanguinem. Si igitur frigidus aër noſtrum corpus & ambit & intrat, ſanguinem etiam frigidiorem, hoc eſt, craſſiorem faciet, atque ejus motum ſegniorem; unde illa, quæ antea tranſibant poros arteriarum, facilè hærent & obſtructiones faciunt. Tales obſtructio-

ctiones fieri poſſe ab aëre frigido docet nos eryſipelas, quæ cum per aliquod tempus fuimus in aëre frigido, aliquando oritur. Aër calidus motum ſanguinis auget, & ejus efferveſcentiam, unde pori arteriarum magis aperiuntur, per quos craſſiores quædam particulæ irregulari figurâ donatæ eunt, quæ dum non conveniunt poris & tubulis aliarum partium proximarum illos utcunque obſtruunt; cui calori ſi ſubitò ſuperveniat frigus, obſtructiones plures & pertinaciores fieri neceſſe eſt, ut conſtat ex ſupradictis.

XIII.

Uti aër calidus obſtructiones facere potuit, eodem modo peccare poterunt *alimenta ſpirituoſa* & *acria* immodice aſſumpta, nec non *impletio ſpiritus vini*, vel *vini* & *cereviſiæ* generoſioris per aliquod tempus, & *nimia exercitia*: nam quoque ſanguinis motum augent, & poros aperiunt, quod idem ferè efficiunt *animi affectus* vehementiores. *Medicamenta nimium refrigerantia* hujus morbi poſſunt etiam eſſe cauſæ, quia tales aliquando facere queunt obſtructiones, quæ ad inflammationem producendam requiruntur. *Nimia vigilia*, etiam aliquid poſſunt huc conferre, quatenus per diuturnum & continuum illum ſpirituum transfluxum pori paulò ampliores ſive apertiores redduntur, ut ita detur craſſioribus particulis quoque influxus; quæ obſtructiones faciunt, dum poros inveniunt ſuis figuris & magnit: non accommodatos. *Evacuationes ſolennes ſuppreſſæ* ſanguinem cacochymicum reddunt, quæ *cacochymia* ut & *plethora*, & omnia alia, quæ memoratas obſtructiones facere poſſunt *cauſam* conſtituunt *antecedentem* ſive *internam*. Quomodo verò à plethorâ poſſit oriri inflammatio, ſatis patebit illis, qui nôrunt vaſa ſanguinea ab illis diſtendi, unde pori quoque fiunt patentiores, per quos dum tranſeunt particulæ craſſiores; & poros offendunt aliarum partium non convenientes magnitudine & figurâ, illos prædicto modo obſtruunt, unde interdum inflammatio. *Ictus*, *lapſus*, *contuſio* & ſimilia alia etiam hujus morbi poſſunt eſſe cauſæ remotæ: his enim vaſa violente comprimuntur, ut ſubito & eodem momento ſanguis inde erumpat, dum tam cito ex arteriis in venas fluere non poteſt. Aut ſaltem earum pori patentiores preſſione fiunt, ut per eos tranſeant particulæ craſſiores, quæ ſi non reſpondeant poris aliarum partium tranſeundis, illos obſtruunt. Eodem modo oritur inflammatio à ſanguine extravaſato, cujus quædam particulæ irregulari figurâ & magnitudine donatæ

obſtruunt ita poros aliarum partium ; et inflammatio producatur.

XIV.

Morbum hunc admodum eſſe fortuitum ex dictis ſatis manifeſtum eſt : & temperatiſſimos phrenitidem pati poſſe nemo negabit, ſi cum *Hippocrate in lib. de vet. medic.* artic. XXIV. ſentiat ineſſe *in homine & amarum & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita.* Cum igitur ſanguis noſter contineat tam varias & diverſas particulas, quidni inde caſu & fortuito oriri poſſent obſtructiones in cerebro & omnia ſymptomata hujus morbi ; præſertim ſi accedant *magna exercitia*, vel ſimilia alia ; quæ temperamentum non tollunt, quamvis motum ſanguinis alterent.

XV.

Explicatis jam plurimis, quæ ex cauſis datis poſſint produci ; ordo requirit, ut de *ſignis diagnoſticis* & *prognoſticis* agamus.

XVI.

Signa hunc morbum comitantia ſive *diagnoſtica* ſatis ſunt manifeſta, poſtquam vidimus illa, quæ ex cauſâ proximâ (theſi V. allegatâ) poſſunt produci, quæ erant *febris continua, acuta & gravis, delirium perpetuum, reſpiratio inæqualis, corporis jactatio, vociferatio, extenſio membrorum magno cum impetu, totius faciei tumor, ardor, rubor, dolor capitis continuus, inquietudo, perpetua vigilia, intumeſcentia vaſorum ſanguiferorum*, quandoque etiam *hæmorragia narium.*

XVII.

Morbum hunc admodum eſſe periculoſum & plerumque lethalem, & experientia & ratio docet, pars enim affecta remotior eſt à corde, ideòque ſufficiens quantitas medicamenti interni ad partem affectam vix poterit venire, ut tollat inflammationem : quæ ſi in pus vertatur, metus erit, ne hic morbus tranſeat in alios morbos, uti in *lethargum, carum, coma ſomnolentum*, imo (ut *fatuitatem* & alios omittam) in ipſam *apoplexiam.*

Si *tremores* adſint lethalis eſt, uti teſtatur *Hipp. coacar. prænot. Sect.* I. *numero* 140. his verbis. *In vehementer phreniticis tremores lethales ſunt* : & *numero* 146. *Affectiones in phreniticis frequenter tranſmutationem habentes, convulſoria, prava.*

Idem ibidem numero 135. dicit. *In phreniticis in principiis affectiones manſuetæ, ac frequenter tranſmutationem habentes, mala ſunt.*

Tremores autem ſæpe phreniticis accidere docet idem *Hippocrates in prædict. lib.* I. *Sect.* I. *num.* X. dicens. *Phreniticæ vehementer affectiones,*

nes,

nes, tremule [illegible]. Et *Sect. 2. num. xx. Phrenitici paucibibi, ſtrepitum valde percipientes, tremuli.*

Phrenitis ſi ſuperveniat febri peſtilenti, aut ei qua mali moris eſt, exitum non niſi funeſtum expectare licebit. Uti effatur *Williſius in part. ſec. pathol. cap. x.*

Peſſima quoque *prognoſis* eſt, ſi phrenitici *floccos vellunt*, & *ſtramina diſcerpunt*, quia tunc ſæpe in immedicabiles fatuos denegerant.

Si à peripneumoniâ phrenitis, malum, uti *Hippocr.* dicit *Sect.* VII. *aph.* 12.

Magis periculoſa eſt in ſenibus quàm juvenibus, uti declarat *Hipp. Sect.* VIII. *aph.* I. *Quicunque ſupra quadraginta annos phremitici fiunt, non ita valde ſani fiunt. Minus enim periclitantur, quorum natura, & ætati, morbus ſimilis fuerit.*

Bonum verò ſignum (inquit *Hipp. aph. xi. Sect. vi.*) *Si phreniticis accedant hæmorrhoides.*

Bonum quoque ſignnm eſt, ſi *febres* & *delirium tantillo minora* ſint, & ſi *delirium cum riſu potius quàm cum ferociâ ſit conjunctum.*

Spes ſalutis quoque major eſt, ſi corpori temperato, quàm ſi bilioſo vel cacochymico, & paſſionibus violentis obnoxio contigerit.

His ita dictis explicationem illorum non aggrediar: temporis enim brevitas non permittit.

Qui interim plures cauſas & ſigna hujus morbi voluerit, ut conſulat practicos rogo.

XVIII.

His ita enarratis, ad *curationem* tranſeo, quæ conſiſtit in cauſarum omnium ablatione. Laborandum itaque hoc in caſu eſt, ut ſpirituum animalium motus perturbatus redigatur in ordinem, ut inflammatio & febris auferatur; tollendo obſtructiones; ut impetus ſanguinis minuatur, quod potiſſimum fiet per phlebotomiam; quâ tota ferè hujus morbi cura abſolvi poteſt, præſertim ſi ſit à plethorâ.

Inſtituatur igitur primo v. ʃ. in brachio, & emittatur ſanguis ab ℥iv. ad ℥xij. pro ratione ætatis, & virium; imo ad deliquium animi uſque: uti teſtatur *Hippocrates in lib. de victu acutorum ſect. LII. num:* 9. dicens, *quod ſanguis ſit educendus uſque ad animi deliquium, ſi acutus fuerit dolor.* Quod *Galenus* quoque fatetur, (*1. aphor. com.* 23.)

 dum,

dam inquit: *ſe nullum majus remedium inveniſſe in febribus ardentibus, & vehementiſſimis doloribus, quàm V. S. ad animi deliquium uſque.* Quod etiam ex *Clariſſima viro Theod. Craanen Profeſſore, Præcept. & Promot. meo honorando*, olim audivi in collegio Theoret. propoſitâ quæſtione: *an ſanguis affatim, an verò partitis vicibus eſſet emittendus?* Reſp; in Maniâ, phrenitide, & ſimilibus affectibus *acutis* affatim eſſe detrahendum, ad leve animi deliquium uſque; in morbis verò *frigidis*, partitis vicibus.

X. I. X.

Quidam *arteriotomiam* inſtituunt in arteriâ temporali, quam rejicimus, tanquam periculoſam & minus tutam: non enim magis prodeſt, quam *vena ſectio*.

Alii rurſus per *cucurbitulas ſcarificatas*, vel *hirudines* hoc in caſu commendant ſanguinem detrahi, quæ omnia, ut remedia moleſta & ferè inutilia, ſunt rejicienda: unâ enim venæſectione plus poterimus efficere, quàm illorum multis.

X. X.

Ut autem impetus ſanguinis porro minuatur, obſtructiones tollantur, & mixtura ſanguinis reſtituatur; ſequentia medicamenta poterunt ægro exhiberi; ut:

℞. terræ ſigillatæ gr. xv.
Sacchari ſaturni gr. v.
Camphoræ gr. iij.
Laudani opiati gr. j. aut ij.
M. f. pulvis ſubinde iterandus.

Vel facilius cum potu ordinario ſumi poteſt tincturæ opii cochlear dimidium aut amplius: vel ſingulis hauſtibus guttæ aliquot ſp. nitri, ita ut ſpatio 24 horarum ſumat guttas xl. aut l.

Sal prunellæ maximè etiam prodeſt à ℈j. ad ʒj.

In his exhibendis maximè obſervandum eſt: an æger incipiat inclinare ad ſumnum: tunc enim abſtinendum eſſet ab illis medicamentis, ne motum ſanguinis magis minuendo æger in æternum dormiat.

X X I.

Ut obſtructiones porro tollantur & mixtura ſanguinis reſtituatur, ſudoriferum ſequens multum proderit; ut:

℞. reguli antimonii medicinalis gr. xv.
Bezoard. mineralis gr. viij.
Camphoræ gr. iij.

Sa-

Salis prunellæ gr. vj.
Tincturæ opii gutt. xx.

M. f. ſudoriferum cum cereviſiâ tenui aut vino dulci ſumendum, vel ſi æger mavult bolum, ſequenti modo præſcribatur; ut:

℞. Diaſcord. fracaſtor. ʒj.
Oculor. cancr. præparat. gr. xij.
Bezoard. mineral. gr. viij.
Sacchar. ſaturni gr. iv.
Salis prunellæ gr. vj.
Laudan. opiat. gr. ß. vel j.
M. f. bolus.

XXII.

Ad mixturam ſanguinis reſtituendam conveniunt præterea Cardiaca fixa, uti ſunt corallia, margaritæ, aurum, argentum; aut ſi acidum peccet: ocul. cancri, teſtacea, limatur: Martial.; & alia medicamenta ex antimonio præparata.

XXIII.

Si alvus ſit adſtricta, injiciatur ſequens clyſter. ut

℞. Herb. violariæ, altheæ, malvæ ana M. j.
Flor. nymph. ana mß.
Prunor. acidor. ℥j. Hordei mundati p. j.
Coquantur in aquâ comm. ad ℥x. in colaturâ diſſolve
Electuarii diapruni ʒx. ſalis nitri ʒiij.
M. f. Clyſter.

XXIV.

Si verò delirium ſit tam vehemens & perpetuum, ut medicamenta internè aſſumi nequeant, capiti adhibeatur ſequens oxyrrhodinum; ut: ℞. aq. roſar. ℥ij. aceti ejuſdem. ℥j.
Succi lactucæ, portulacæ, ſolani an. ℥ij. vel ſuccorum defectu ſit aq. deſtillat. eadem quantitas,
Opii thebaici (ſi vires permittant) gr. xij.
Champhoræ ℈j.

M. f. oxyrrhodinum, cum linteis capiti tepidè adhibendum. Proſunt etiam columbæ, ut & gallinæ vivæ diſſectæ, & capiti impoſitæ, vel pulmo vervecis à mactatione calens: etenim blando ſuo calore poros capitis aperiunt, & obſtructiones nonnihil tollunt, vel dolorem ſaltem mitigant.

X X V.

Ut autem fermentationes ſanguinis inſolitæ compeſcantur, & diminuantur, pori aperiantur, & per inſenſibilem tranſpirationem illæ particulæ educantur, quæ phrenitidem procreant, & ut ſanguis bene præparetur, ſequens conducet Apozema.

℞. rad. ſarz. parillæ, cortic. tamariſci, rad. capp. ana ʒx.
ligni ſaſſafras, ſantali albi ana ℥ß.
Herb. acetoſæ, portulacæ, plantaginis, braſſicæ rubræ.
Flor. papaveris rheados ana M. j. ſem. papar. albi ℥j.
Hordei mundati Mj. fiat infuſio calida per noctem, aut diutius; in aq. font. poſtea decoquantur in vaſe bene clauſo.
Colaturæ ℔. iv. adde
Sp. nitri dulcis ʒij. ſp. ſalis ʒj. & ſi æger dulcedinem amet, Sp. de acetoſitate citri ℥ijß.
M. f. Apozema de quo æger bibat ter vel quater de die ℥iv.

X X V I.

Si huic morbo adſit notabilis cacochymia, in declinatione, cum omne periculum fermentationis nimiæ præterierit, poterit præſcribi ſequens purgans; quod, poſt uſum apozematis per aliquot dies, aſſumet. ut

℞. Extract. rhabarb. ℈j. reſinæ ſcammonii gr. iij.
M. f. ſ. a. pillulæ.

X X V I I.

In *diatâ aër* ſit *temperatus*. *Cibus*, ſi ventriculis poſſit ferre, ſit liberalis, ne ſanguis fiat acrior nimiâ inediâ: conveniunt etiam omnia hordeata, & quæ ex milio, oryzâ, cum lacte ebutyrato aut juſculo: proſunt etiam rapæ, piſces ſaxatiles, juſcula carnium vervecum & aliorum animalium juniorum; omniaque porrò, quæ ſanguinis acredinem temperant, motumque ejus minuunt, uti ſunt acetoſa, acida volatilia, pruna, non ſalina & ſimilia; quæ motum ſanguinis minuunt, & etiam obſtructiones tollunt. *Potus* ſit cereviſia tenuis. *Quies* hìc quoqne conducit. *Somnus* omni ratione conciliandus. *Excrementa* alvi & veſicæ reſpondeant. *Animi pathemata* quantum fieri poteſt, ſint blanda. His ita poſitis facio

F I N E M.

Summi Medicinæ doctoratûs honores collati in

D. PETRUM BENIER.

Credimus? & tu nunc ad magnum evectus honorem
O Petre, pars animæ dimidiata meæ,
Rellinquis charumque locum, dulceſque ſodales,
Atque animum ad laudis culmina juſta paras?
Vade bonis avibus. Sic te ducente Minervâ
Conatus fauſtos det tibi magna ſalus.
Cum ſolers fueris, jam præmia magna reportas,
Et laurum, quæ nunc tempora rite tegit.
Sic poſt auſteros faſtiditoſque labores
Concipis ingenii Nectar & Ambroſiam.
Et voti compos ſecurâ mente quieſcis,
Materiam laudis dum cano lætus ego.
Sic ſol poſt imbreis, & triſtia murmura venti,
Fulget, luxque iterum grata redire ſolet.
Macte novâ virtute, & perge hoc omine lætô;
Sors majora parat, chare Beniere, tibi.
Sic Studiô Medicina tuô majore coruſcet
Lumine, & æternùm fulgeat uſque magis.
Candida poſteritas ſic te celebrabit apertô
Ore, memor veſtri, dum memor ipſa ſui.
Si quid habent veri metri præſagia noſtri,
Excelſis feries ſydera verticibus.

D. van HOOGSTRATEN.

AD

AD

Ornatiſſimum doctiſſimumque

JUVENEM

PETRUM BENIER,

Cum in illuſtriſſima Batavorum Academia in Medicorum numerum omnibus approbantibus relatus eſſet.

ELEGIDION.

Tune etiam, pulſa mentis caligine, lauro
 Tempora ſuccinctus tollis ad aſtra caput?
Hoc equidem decuit. ſummos ſuperaſſe labores
 In ſtudiis, certè præmia tanta meret.
Judicat hoc mecum, tua cui ſolertia nota eſt,
 Et cultum ingenuis artibus ingenium.
O mihi ſi Muſæ dederint in carmina vires!
 Carminibus jam nunc eveherere meis,
Efficeremque, tuum celebretur nomen in orbe,
 Et doctus volites docta per ora virûm.
Aſt vires deſunt: hilari quare excipe vultu,
 Quæ nunc ex animo candidiore precor.
Neſtoreos vivas annos, patriamque decores,
 Alter & Hippocrates, quâ patet orbis, eas.

Amico cecinit amicus.